

SALUTATIO VIRTUTUM [SalVirt]

- 1 Ave, regina sapientia,
Dominus te salvet
cum tua sorore, sancta, pura simplicitate.
- 2 Domina sancta paupertas,
Dominus te salvet
cum tua sorore, sancta humilitate.
- 3 Domina sancta caritas,
Dominus te salvet
cum tua sorore, sancta obedientia.
- 4 Sanctissime virtutes,
omnes vos salvet Dominus,
a quo venitis et proceditis.
- 5 Nullus homo est penitus in toto mundo,
qui unam ex vobis possit habere,
nisi prius moriatur.
- 6 Qui unam habet et alias non offendit,
omnes habet,
- 7 et qui unam offendit,
nullam habet et omnes offendit (cfr. Jac 2,10).
- 8 Et unaquaque confundit vitia et peccata.
- 9 Sancta sapientia
confundit Satan et omnes malitias eius.
- 10 Pura sancta simplicitas
confundit omnem sapientiam huius mundi (cfr. 1 Cor 2,20.27)
et sapientiam corporis.
- 11 Sancta paupertas
confundit **omnem** cupiditatem et avaritiam
et curas huius seculi.
- 12 Sancta humilitas
confundit superbiam
et omnes homines qui sunt in mundo,
similiter et omnia, que in mundo sunt.
- 13 Sancta caritas
confundit omnes diabolicas et carnales tentationes
et omnes carnales timores.
- 14 Sancta obedientia
confundit omnes corporales
et carnales voluntates,
15 et habet mortificatum corpus suum
ad obedientiam spiritus et ad obedientiam fratris sui,
- 16 et est subditus et suppositus
omnibus hominibus qui sunt in mundo,
- 17 et non tantum solis hominibus,
sed etiam omnibus bestiis et feris,
- 18 ut possint facere de eo quicquid voluerint (cfr. Mt 17,12),
quantum fuerit eis datum desuper a Domino (cfr. Joa 19,11).